ILLVSTRISSIMO ATQVE ÆQVISSIMO INQVISITIONVM PARISIENSIS CVRIÆ PRAESIDI ET SACRI REGIS CONSILII CONSISTORIANO D. D. ADAMO DE LA BARRE. S. P. D.

CONSVLTO an temerè faciam, qui te, P. Æ. publicis rebus addictum ad hoc meum discrimen abduco, aliorum potius quàm meum sit iudicium. Mihi certè necessarium visum est, à gentilitio tuo nomine & lumine in hac industriæ periclitatione opem quærere: Illo, grauissimas petitiones sustinebo, hoc, obscuras difficultates illustrabo. Nomen tuum inuocant, quotquot ciuitates à supremo Galliarum tribunali ius implorant, ad illud tutissimum præsidium confugiunt: ijs demum, quorum vis omnis in litibus excogitandis, & per æqua iniquaque agitandis absumitur, tanquam territamentum obijciunt; lumen eædem suspiciunt, quod inæquali, sed iusta lege in miserorum solatium splendet. Numinis sanè beneficio & consilio, tam insigne ornamentum genti vestræ concessum fatemur, qui nouimus eam Turonibus, Andibus, Parisiensibus iura & leges distribuisse sidere illustrem iustitiæ, quam, vt Luna suum lumen à Sole, sic vos à Rege, Gallorum augustissimo Sole, ante ipsa, ausim dicere, Lunæ tempora accepistis. Consulta ergo audacia, quæ me, virtutes Lunæ asserentem, nominis & luminis vestri viribus confirmari iussit, vt illud, impigrè irruentibus opponam, hoc, insidias in hoc certamine positas, detegam; quas, si solitâ adsis beneuolentiâ, facilius & fœlicius me declinaturum spero. Vale.

F. MALLET.

AD QVODLIBETARIAM.

QVAESTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIÈ IOVIS V. IANVARII MAGISTRO PHILIPPO HARDVINO DE S. IACQVES, DOCTORE, ET MEDICO REGIO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An humorum incrementum à Luna?

NATVRA εὔτακτος vt motus, sic ordinis principium, (νόμος γὰρ ἐπὶ πάντα κεχρῆται) non cœlestia, sed inferiora corpora triplici legi subiecit, alterationi, nutritioni, & incremento. Alteratio & nutritio vix certis spatijs clauduntur; has, si non otiatur calor, quàm poterit longissimè protrahet. Incremento certi fines positi sunt, quos vltra citraque nequit consistere rectum, longitudo nempe, latitudo, & profunditas; quibus, vt materiæ penitissimè inhærentibus, induta sunt omnia corpora, neque prius alterationis, nutritionis & ipsius ortus sunt capacia, quàm ijs compingendis adfuerint tres illæ dimentiones, quæ paulatim nouæ materiæ accessione fatalem ad terminum protensæ, illic tandem consistentes, suum ex naturæ lege dicuntur adeptæ incrementum.

MOTVS hic est, quo substantia aliqua in omnem partem ita augetur, vt in maiorem abeat molem; siue corporibus animatis, accepto interius alimento, siue inanimatis, quantitate addita quantitati, beneficio alicuius agentis vtentis humore & calore instrumentis ad incrementum expeditissimis. Æquè perfecta est accretio vt ossibus & neruis, sic vnguibus & pilis, lapidibus, & metallis: his solùm alteratione, illis verò nutritione necessaria: Ita vt, modò fiat transmutatio corporis è mensura aliqua minori ad maiorem, quicquid alterutra via substantiam ad ampliorem terminum deducet, incrementi illius erit efficiens.

CADVCA hæc nostratia firmo & constanti naturæ ætheræ motui alligata sunt, vt huius qualitatibus nunquam interituris, moribunda recrearentur. Quare, cœlum causam vniuersalem, diuersis virtutibus vt & sideribus distinctum esse par fuit, è quorum lumine, motu & influxu, varij orirentur effectus. Sic natura solis temperando intelligitur anno: sic reliquorum siderum propria quibusque vis est, & in suam naturam fertilis. Luna mensibus per septimas ducendis, & mulierum menstruis præfecta, humidisque potens, terræ, maris fluxui refluxuíue, arborum animaliumque succis, pinguedini, sudoribus, excrementis, motum & augmentum præstare semper visa est: vt si quando lumine auctior sit, humida in omnem diffundantur partem, & quasi splendor ἀγαπητικῶς sideris decus, exciret terrestria, multa ad suum nutum allicit & influxu flectit, selenitem, selenotropium, palmas, chinostarem herbam, quæ vt omnia, quæ humidis delectantur, cum luna crescunt, luminis orba, languent & contabescunt.

LVNA fœmineum sidus, iure viciniæ, & omnium cœlestium virtutum confluxu, variè in hæc inferiora efficax, masculo astro Soli, qui calore principium motus impertitur & siccitate firmat, veluti connubio iuncta gaudet: materiam in quam agat subijcit, & humore temperat, vt inde fiant pulchra prole parentes. Sed humidæ substantiæ facilè dissipabili, vt generationis, sic conseruationis principium idem. Luna triplici motu & cuius proprius, primi mobilis impetui non reluctatur, licet tardiûs, vt minor orbis ab aplane contentus, diurnè ab eo deuoluatur, fouet humida, quibus, continuà alterationis successione, vegetantia ducunt alimentum, & à corruptione vindicat, nam vitium caperent ni mouerentur aquæ.

EST quoque lunæ propria vis, eius epicyclo indita, immutabilis, à qua certi & semper emanant effectus; sed tantum virium suarum exerit, quantum luminis particeps, & quamuis triduo in coitu solis faustè remorata sileat, mutationes tamen efficit, è diametro opposita vehementiores; διχότομος, gibbosa, falcata minores: sic viuentium humor paulatim auctus, vberius suppeditat pabulum, sic medullæ ossium, spinæ, cerebri, pulmonum, glandium carnes turgent, & excrementorum multitudine morbifici commouentur impetus, ἐρέθισμοι, febrium, comitialium, & asthmaticorum periodi, pepasmi, crises; partus, apoplexiæ plenilunio periculosiores, vt & anginæ, lethargi, palpitationes; sed fluores cuiusq; generis εὐχώριστοι, fœliciores. In his quidem agens intrinsecum adiuuat, in alijs verò, quæ nullum motus principium intus habent, mouentur tamen, ab aliquo moueri necesse est: non ab elementis, non à cæteris sideribus, sed manifestè ab eo terris finitimo planeta.

Ergo humorum incrementum à Luna.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS MALLET Locoueriensis. A. R. S. H. M. DC. XXIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Valentinus Hierosme.	*M. Ioannes Berault.*	*M. Philbertus Guibert.*
M. Ludouicus Robillart.	*M. Franciscus Mandat.*	*M. Ioannes Pietre. M. R.*
M. Franciscus Bouionnier.	*M. Franciscus Quiquebeuf.*	*M. Joannes Cousin. M. R.*